

les. C. de patria potestate, & l. unica, § oportet. C. de raptu virginum. Sed de hoc etiam supra.

5. IACOB AVTEM AUDIUIT. Quarta circumstantia: Dolor Iacobi ineffabilis ex stupro filiae unicae. Filij absunt in agro: Quid faciat mœstus senex? Inops consilij silet dum redeant, premēs altum corde dolorem. Fingant Iudæi varias causas, cur Deus stupro filiae castigauerit Iacobum. Sed pius pater hanc calamitatem habet communem cum alijs pijs parentibus, quorum filij sæpe præter culpam ipsorum fiunt noxæ: vel tristitia patiuntur. Et finit Deus quandoque tragica huiusmodi exempla etiam in sanctorum familijs accidere, vel vt arcana eorum peccata castigentur in liberis, vt in Absalomo, Ammane, Thamar puniuntur peccata Dauidis: vel vt exerceatur eorum fides, & patientia, vt in oppressione liberorum Iobi: vel vt in exemplis eiusmodi discant ceteri, ne quidem sanctam educationem efficere, vt parentum votis ingenia & mores liberorum per omnia respondeant. Quia autem silet Iacob in suo dolore sine tumultuatione & fremitu, agnoscit haud dubie ferulam diuinam, patienter ferens crucem impositam. Et sic pius decet conspectu iudiciorum DEI in suis familijs terreri, nec ruere impatientia contra Deum, sed patientia & spe misericordiae eius se erigere in ærumnis, exemplo Dauidis: *Tacui & non aperui os meum, Domine, quia tu fecisti.*

6. EGRESSVS EST ITAQUE HEMOR. Inferitur hic Principis egressus ad Iacobum, sed actio sequitur versiculo octauo, quia interuenit filiorum reditus ex agro. VT LOQUERETUR EVM EO, hoc est, vt excusaret factum, placaret Iacobum, & filio impetraret sponsam. Recte quidem, quod filio quærit legitimas nuptias, nec vult raptam seruari à filio parentibus inuicis: sed non recte, quod nimis indulgens fi-

lio est, nec vt meretur eum obiurgat, & castigat, quod apparet; quia tantum filij amorem indicat, stuprum oblatum dissimulat, quasi re adhuc integra. *Anima filii mei adhesit cum filia vestra, &c.* Et dolo non carere eius orationem postea audiemus. Colludit igitur pater cum filio. Vterque proinde paulo post luit. Parentes discant non patrocinari liberorum flagitijs, ne cogantur socij eorum esse in pœnis. De officio vero parentum in quærendis & curandis liberorum honestis nuptijs supra diximus. cap. 24.

7. PORRO IACOBI FILII VENERANT. Nunc quomodo fratres Dinæ affecti sint stupro sororis indicat Moses. Fama ad eos emanauit in agro. Forte pater curauit significari, eosq; reuocari per seruulum. Veniunt ergo principe præsentem. *ἄνθρωποι* viri nominantur iuvenes virilem iam animum gerentes, saltem adultiores, ex Leah. Ruben enim agebat annum 22. Simeon 21. Leui 20. Iuda 19. quantum ex historia colligere licet: & ex Chronologia Geneseos patet. Ex malo domestico graui dolore, iustaque indignatione percelluntur.

ET IRATI SVNT VALDE: nempe stupratori. Additur causa doloris & iræ: *quod turpitudinem fecisset in Israel.* *ἡτὴν* proprie stultitiam notat: item *nefas, turpitudinem*: fere vsurpatur de stupris in scripturis, & phrasibus; *facere stultitiam in Israele*, hic primo occurrit, quæ postea mansit: significans admittere rem fœdam, in dedecus & scandalum Ecclesiæ: Deuteronom. vigesimo secundo, versic. vigesimo primo de puella domi corrupta: *Moriatur, quia fecit stultitiam in Israele, fornicando in domo patris.* 2. Sam. 13. 12. Thamar Ammoni sollicitanti eam ad concubitum: *Non sic fit in Israele: nec facias stultitiam hanc.* Contraria phrasis huic etiam passim occurrit: *Auferas malum de Israele:* Deuteronom. 17. versicul. 12. & 22. versiculo 22.

Docent

SECVN  
Tractat  
Hemor  
quæ se eam  
contra bitu  
in vilium habitati  
populæ tam.  
Dicit quæq; Serben par  
repro & qui quid  
dege me velle dote  
puellam istam in v  
funderant vero filia  
taliter Denab ser  
Et dicitur in quâ  
vix, cui est prap  
Vrum in hoc complac  
masculæ.